



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ulrichi Hvtteni Eqvitis Germani Opera Poetica

Hutten, Ulrich von

[Frankfurt am Main], 1538

VD16 H 6395

Vlr. Ab Hvttten Ad Crotvm Rvbianvm De Statu Romano, Epigra[m]mata ex urbe missa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13027**

EPIGRAMMATA

EIVS dem ad Columnneñ. Romanos Episc.  
 Dij medio in Latio solidam posuere columnam,  
 Qua Iouis interdum fessa quiescat avis.  
 Bellum erat, exierant Galli, exierantq; Leones,  
 Thuscus, in Euganea quiq; palude regit.  
 Fessus ibi quoties requiem sibi posceret Ales,  
 Fulciuit gratas illa columna uices.  
 Si numeres annos, medio si in Marte labores,  
 Hanc molem belli sustinuisse putes.  
 Viue columna diu, nulloq; intercide lapsu,  
 Quæ colis imperium sola, tenesq; fidem.

VLR. AB HVTTEN AD

CROTVM RVBIANVM DE STA

tu Romano, Epigrammata ex urbe missa.

Vidimus Ausoniae semieruta moenia Romæ.  
 Hic ubi cum sacris uenditur ipse deus.  
 Ingentem Crote Pontificem, sacrumq; Senatum,  
 Et longo proceres ordine Cardineos,  
 Tot scribas, uulgusq; hominum nihil utile rebus,  
 Quos uaga coniecto purpura uestit equo.  
 Tot Crote qui faciunt, tot qui patiuntur & illos,  
 Orga qui uiuunt, cum simulent Curios.  
 Rursum illos, qui nec simulant bona, nec bene uiuunt,  
 Qui rident mores, exhibentq; bonos.  
 Quos iuuat esse malos, quib, & licet, in iuga quorū  
 Consensit miseris Teutona terra modis.  
 Qui dant, quiq; uetant, qui quos clausere recludunt.

Ar

## HVTTENICA

Arbitrio caelos distribuuntq; suo.

Romanas, neq; enim Romanos, omnia luxu,

Omniaq; obscœnis plena libidinibus.

Atq; hæc post Curios, Pompeios atq; Metellos,

Omnes atq; o tempora, Roma tulit.

Desine uelle sacram imprimis Cyote uisere Romam,

Romanum inuenies hic, ubi Roma, nihil.

### DE EODEM.

Vendit Roma deum, uendit sacra, uendit honores,

Ipsaq; quod mirum est dicere, Roma uenit.

Vsq; adeo nihil est, quod non ibi eomparet aurum,

Scilicet, ut fiat aurea Roma iterum.

### DE ROMANIS ut nunc.

Dicunt sancta patres, operantur pessima Romæ.

Quidam etiam dicunt nec bene, nec faciunt.

Religio tamen et Christus iactantur ab illis,

Tollitur, et passim prostat imago crucis.

Et piscatoris gliscunt patrimonia Petri.

Vibrantur magni fulmina pontificis.

Vestit summa pedes à uertice purpura longum

Ponè sequens, dicas uiuere simpliciter.

At nisi me fallat, sed nunquã adeo omnia fallunt,

Ista ouium miros uestit imago lupos.

### OMNIA Romæ pecunia redimi.

Ite uiri, conferte manus, et uiuite rapto,

Cædite, de sacro uellite, obite nefas,

Ite, profana sacris miscete, assuescite luxu,

Omne uoluptatum per genus iste uiri.

EPIGRAMMATA

Dicite, & ex ipso facite omnia pessima dicto,  
 Scilicet, & nullos esse putate deos.  
 Vidimus hæc Romæ fieri (quid sanctius illa?)  
 Et tamen ad cælos non minus esse uiam.  
 Aurum quisq; ferat Romam, uirtutis abunde est,  
 Summa furit Romæ qui bona nescit emi.  
 Quinetiam ut facias emis auro turpia Romæ,  
 Quæ cum ita sint, dico quod prius, este mali.

DE STATU Romano.

Liquit Auentinas arces, Tarpeiaq; saxa,  
 Et debellata cætera in urbe Petrus,  
 Proq; Petro subit ille Simon, regnatq; per aras,  
 Et debellata regnat in urbe Simon,  
 Nescio quò captiua raris, Ecclesia quò se  
 Proripuit, Romæ est tale uidere nihil.  
 Vendit sacra Simon, uenditq; prophana perinde,  
 Atq; ita me Christus, omnia uendit, amet.  
 Non tutum est emere ista tamen, licet emeris auro,  
 Redditur à plumbi stemmate bulla grauis.  
 O bullas, atq; ô Romam, regemq; Simonem,  
 Sacra emere, & Romæ uendere sacra licet?

DE EODEM ad Germanos.

Quis modus ô ciues? Quò se hæc patientia tandem  
 Profert? hæc Romæ querimus, atq; emimus?  
 Sic nos bulla capit? sic se Germania nescit,  
 Ut petat hæc? sic nos ista sigilla iuuant?  
 Χρυσέα χαλκείων, & adhuc mutatio peior,  
 Tantum auri, ut redeant plumbea signa, dari.

DE

## HVTTENICA.

DE EODEM ad eosdem.

Cæca magis cuiquam mens est, magis indiga lucis,

Quam cælum Romæ, qui sibi credit emi?

Aut qui quantum auri est, quenquã putat esse beatũ?

Quando illic auro uita beata uenit.

Qui stygias comemnit aquas, neq; triste ueretur

Supplicium, Romæ calica fretus emi?

Aut non ipse Petrus summa excandescat ab ira,

Esse aliquem, cælum qui locet, ipse malus?

Proinde nefas ciues fugite, atq; inquirete rectum,

Hac uobis cælum merce licebit emi.

DE QVODAM mortuo Episco-  
po ad Germanos.

Occidit antistes, petite altera pallia ciues,

Quæ dabit accepto Romulus ære Simon.

At tu, donec habet cerebrum Germania nullum,

Et nullos oculos, pallia uende Simon.

QVING; Gallis se inuadentibus.

Desinite irasci sine causa & crimine Galli,

Quæ meruit Cæsar, non ea culpa mea est.

Ille apud Insubrem bellorum ambagibus urbem,

Districtus casu uoluitur ancipiti.

Quam licet expugnet, licet his peruincat in armis,

Aut quiduis faciat, non ea culpa mea est.

AD EOSDEM.

Oraui pacem Galli, orauiq; salutem.

Ne solum dixi perditæ, quinq; uiri.

Quimetiam offendi quia nil uos, parcite Galli,

EPIGRAMMATA

Cæde fera innocui sanguinis esse rei.  
Nec multæ ualere preces, promissa salutis  
Innocui mores nec peperere mihi.

Quin morere unus ait, Cæsar te hoc uulnere Cæsar  
Immolat, & morti tradit amore sui.

AD EOSDEM.

Inuitus Galli uobiscum hanc consero pugnam,  
Si libet, exertes cædis habete manus.

Cædis habete manus, nec me facite esse nocentem,  
Dum capio uestro forsitan arma malo.

Si est illa mei sitis importuna cruoris,  
Ut tangant nullæ pectora uestra preces,

Iam quiddam ipse manu audebo, contraq; resistam,  
Indecorem ne quis dicat obisse necem.

Audebo, & quoniam iustum antè æquumq; popose  
Non flectam posthac ulteriore prece.

Este autem memores, quid possint fasq; nefasq;  
Atq; hominum curam credite habere deos.

Tum uerò immenso uires gliscere periculo,  
Et desperatis sæpe redire deum.

AD SEIPSUM EODEM

in periculo.

Vsq; adeò ne mori miserum est? timor omnis abesto;  
Fortè aliquid secum nostra ruina trahet.

Ne patiar Gallos terrere his uocibus ultra?  
Conuelli ignauis ipse puterq; minis?

Aut ubi proposita est mors, & fuga mortis adempta,  
Armorum miserum ui cecidisse putem.

Quin

## HUTTENICA.

Quin haec una mihi potius solatia mortis,  
Et iuuat has igitur praecipitare moras.  
Vos testes prius este dei, ferre arma coactum,  
Multa adeo Gallos praemonuisse diu.  
Tum iactasse preces, uoluisse occidere Gallos,  
Insontis flecti non uoluisse prece.  
Iam ceruum est tumidis uitam hanc effundere Gallis,  
Dij saxint, horum concidat illa malo.

GALLO ab se caeso.

I, morere, & Stygias tecum hoc Galle affer ad umbras,  
Esse aliquem, Gallos qui neget esse deos,  
Qui uici tamen, et quem tu aequo haud Marte petisti,  
Osibus ipse tuis molle cubare precor.  
In me quinq; uirum tua proxima dextera uisa est,  
Testis ero, & uulnus, quod tuli, ab ense tuo est.

IN QVINGVE GALLOS,

ab se profligatos.

Non pudor est Gallis non est scelus? ense petistis,  
Vnius Hutteni corpora quinq; caput.  
Fert fortuna nefas, non fert deus, hoc ego dicam?  
Aut aliquis dicto possit habere fidem?  
Quinq; dedisse fugam, atq; uni dare terga coactos?  
Hos paulo ante minis uerberibusq; seros?  
Ne tamen ulla meo scribatur gloria facta,  
Vicit enim Gallos (non ego) quinq; deus.  
Vicit, & insontem tulit aegre inuadit armis,  
Et nihil in mortem qui meruisset agi.  
Gloria prima deo, qui me seruauit, ut illos

Pere

## EPIGRAMMATA

Perderet, & uicit (non ego) quinq; uiros,

AD QVENDAM Romæ Epi-  
scopum insignem medicum.

Vrbe frequens tota te prodit Episcopo rumor,

Posse pudendagræ pestis obesse malo.

Audui, exilui, dubiam spes ardua mentem

Erexit, trepidos deposuiq; metus.

Ne contemne tamen, si quid Germania sperat,

Cum Rheno Tagus est iunctus amicitia.

Regnorum est idem dominus, rectorq; duorum,

In bellum gentes causa agit una duas.

Miscetur castris socio Germanus ibero,

Hinc habet, atq; illinc Carolus imperium.

Fœdus habet populos, amor atq; unita uoluntas,

Imperio Gallos exuere & Venetos.

Per patriæ gentis, sociæ per gentis amorem,

Perq; quod utriq; est fœdus amicitia,

Communesq; deos oro, & socialia iura,

Hospitis Hutteni commiserare uicem.

Deseruit reliquum morbi contagio corpus,

Mansit in extrema calce relicta lues.

Tu potes effreni medicinam opponere morbo,

Tu potes hærentes pellere relliquias.

Ne sine te frustra iuuenis Germanus adoret,

Sed quoniam potes, his artibus affer opem.

AD MAXIMILIANVM Cæsa-  
rem accepta Laurea.

Fliccescunt lentæ salices, & perdit honorem

Gloria



HVTTENICA.

Gloria sylvarum fraxinus alta suum.  
 Nudat hyems patulas fagos, platanosq; uirentes,  
 Rarefcit tactis ulmus opaca comis.  
 Nec semper liliæ uirides, & populus ingens,  
 Quam mox occulerat, ionfa renudat humum.  
 Hoc molles faciunt uiolæ, sic lilia marcent,  
 Nuirit odoratas & breuis hora rosas,  
 Se quoq; q̄ pulchra est, non semper amaracus effert,  
 Quoa fuerat perdit, nardus odora decus.  
 Quod gratū est, nō semper habet narcissus, & aufert  
 Quam tibi præbuerat formam hyacinthe dies.  
 At uiret extremum Phœbo sacra laurus in æuum,  
 Bacchica perpetua fronde uirescit helyx.  
 Sic, nisi non rectè mea mens sibi conscia, Cæsar  
 Si tibi quid scribam, non morietur opus.

IN TEMPORA IV=

LII SATYRA.

**H**oc mens illa hominum, partem sortita deorū  
 Et pars ipsa dei, patitur se errore teneri  
 Has ruit in tenebras? adeo sine lumine fertur?  
 Ut scelere iste latro pollutus iulius omni,  
 Cui uelit occludat cælum, rursusq; recludat.  
 Cui uelit, & possit momento quemque beatum  
 Efficere, aut contrà, quantum quis cunq; bene egit,  
 Et nixit bene, si lubeat, detrudere possit

Ad